

ra, quæ à principio cap. posuimus, & quæ in faciem oppositæ uidentur fauere sententiæ, facillime soluuntur.

Ad primum quidem respondeo concedens multa esse, quæ iuste, imo aliquñ necessario per alios dispensat Papa: quia omnibus peragendis ipse solus non sufficit, res tñ ad fidem spectantes eo, quod sint reliquis omnibus forensibus negocijs multo præstantiores, non est æquū, ut per alios decernat. Nā & si quæ per alios facimus, per nos ipsos facere uideamur, non tñ re uera per nos ipsos facimus. Deinde multum interest proprijs, an alienis oculis inspicias: quā (ut optime Manlius Torquatus apud Liuium ait) uix unquam bene succedent, quæ oculis ris alienis. Fatemur rei ad fidem spectantis inquisitionē Papam posse alicui delegare, ut uidelicet doctōr dissidentium rationes, & argumēta audiat, & scrutetur, hac tñ conditione, ut quæ ab illis intellexerit, summo Pontifici referre teneatur, ut ille omnibus examinatis sniam dicat. Alias si Papæ legatus sniam de fide dixerit, nō sic ligabit contradicentē, ut non liceat illi ad Papam appellare. Ante cuius definitionem quamuis contradicat legāto, non censbitur hæreticus. Alterius argumenti solutio ex his, quæ ante diximus, est manifesta.

*Quis sit Dicendus hæreticus.*

Cap. 7.

*De hæretico.*

Hactenus de hæresi per multa capitula disputauimus. Nunc uero ratio ipsa suadet, ut de ipsius hæresis assertore, qui hæreticus appellari solet, disseramus, & quis merito talis ceteri debeat, doceamus. De hac re (prout ego existimo) non oportet facile pronunciare: sed grauem, & diligentem debet iudex adhibere examinationem antequam aliquem hæreticum esse censeat. Cum. n. nullum sit acerbius crimē qđ uirō Christiano quis possit obijcere, quam si illum appellet hæreticum, anxie prius re examinare conuenit, & lapidem (ut dicitur, ad filum referri) antequā iudex de hac re sniam dicat. Lex Mosayca Iogam, & diligentem iubebat præcedere examinationem antequam sacerdos aliquem pronunciatset leprosum.

*Iudex*  
*temph*

*2*

*3*

*4*

*5*